



Freiherr v. Ende-Mitjessnitz.

M.
d.
H.
J.
A.
A.
J.
d.
o.
d.
A.
A.
A.
A.
A.



32.

25

DISPVATIO MORALIS

De

NATVRA ET INDOLE
AD FECTVVM

ad

EXCELLENTISSIMI VIRI

IOANNIS FRANCISCI BVDDDEI

ELEMENTA PHILOSOPHIAE PRACTICAE

Part. I. cap. II. a §. 48. -- 138.

quam

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO IUVENTVTIS PRINCIPE

FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONE BRANDENBURGICO ET ELECTORA-

TVS HEREDE AC RELIQA,

Consensu amplissima Facultatis Philosophicae,

PRAESIDE

M. IOANNE REICHIO,

Derenburg. Saxone,

Publico Eruditorum examini proponit

HENRICVS Rudloff / LL. Studios.

Halenf. Magdeb.

Ad d. XX. Aug. MDCC.

Typis CHRISTOPH, ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typ.



55.
V I R O

NOBILISSIMO

Amplissimo ac Consultissimo,

D. HENRICO

Rudloff/

ICto Celeberrimo, Sereniss. ac Potentiss. Electori
Brandenburgico a Secretis in circulo Saxonico inferiori,
Summi Capituli, quod Martisburgi est, Syndico
gravissimo, &c.

PATRONO, PATRVELI ac PATRVO SVO

summa observantia colendo

has primitias academicas

ea, qua decet, reverentia, dicat & consecrat

HENRICVS Rudloff.

Typis CHRISTOPH. ANDREAE NATHANII, Acad. Typ.



Tanta est virtus ac præstantia animæ humanæ ad exemplar Diuinitatis effectæ & expressæ, vt longe plures excellentioresque operationes edere possit, quam vulgus Philosophorum olim & hodie sibi persuasum habet: Quidquid enim Plato *lib. 10. de LL. p. 949.* de philosophis suæ ætatis pronunciauit, illud nos grauiorem ob causam de vulgaris Philosophiæ Sectatoribus pronunciamus: *qualis anima sit & quam habeat vim, omnes fere ignorasse videntur.* Digna est hæc auræ diuinæ particula in admirabili corporis humani fabrica multas easque insignes actiones conspiciendas præbens, vt animæ nomine præ cæteris insigniatur. *Hæc enim proprie anima dicitur, inquit Cassiodor. lib. 1. de Anima cap. 1. non etiam pecudum, quia illorum vita in sanguine tantum noscitur constituta. Hæc quoniam immortalis est, anima recte adpellatur.* Vindicauimus in præcedentibus animæ humanæ §. 48. operationes duplicis generis *puras & mixtas*, modo enim illam sine corpore, modo cum corpore agere experientia & ratione compertum habemus. Illæ agunt, quod animæ humanæ proprium est, intelligendo, volendo aliasque actiones eximias edendo, sicuti eo loco prolixius euictum est; Hæ vero illud peragunt, quod animæ sensitiuæ vulgo adscribitur, cuius vices animam ita dictam rationalem quoque in homine subire sana est sententia.

§. 2. Tres constituimus operationes mixtas & organicas *imaginationem, adpetitum sensitiuum & memoriam sensualem* facultatibus animæ puris & inorganicis ingenue & accurate respondentes. Nec possumus aliter sentire, cum communem sententiam, operationes sensitiuæ animæ explicantem, partim obscuram partim incertam deprehendimus. De priori non est, quod prolixam probationem adii-

ciamus, ideo de posteriori saltem solliciti erimus. Solent plerique Aristotelicorum tres cum nobis animæ sensitivæ operationes siue potentias statuere: *sensum communem, vim imaginatricem & memoriam*, vid. Zeifold. *de anima sect. 3. punct. 6. seqq. p. 450.* quibus alii ingenium superaddunt. Magis tamen recepta est Arabum sententia teste Hamelio *lib. 1. de corpore animato cap. 4. §. 5.* tres in anima sentiente vires agnoscens: *imaginatricem videlicet, iudicium & memoriam*; Sed iudicium ad intellectum rectius refertur, & pro eius facultate venditatur. Incongrue itidem ingenium ad operationes animæ sensitivæ refertur: Est enim vis atque virtus ex certis quibusdam animæ facultatibus puris & mixtis apte inter se temperatis exurgens vid. Excellentissimus Buddeus noster *in disput. de cultura ingenii cap. 1. §. 8.* Notus quidem nobis est doctorum Virorum dissensus, quid per ingenium intelligendum vid. Idem Auctor *de habitu animæ eiusque facult. ad action. mor. §. 44.* Sed sufficit nobis heic ipsam rem adumbrasse, iam enim non vacat in illius dissensionis rationes inquirere.

§. 3. Quod de facultatibus animæ mixtis cœptum est proludere, antequam ad propositum veniamus, non incongruens erit de imaginatione seu phantasia breuiter quædam præmittere. Accipimus autem vocem *phantasia* non in sensu populari pro deprauata ratione aut cogitatione, quomodo illi phantastici vulgo adpellari solent, qui a recto iudicio deflectunt, sed physico, pro virtute varia obiecta imaginandi.

§. 05. Io. Zeifold. *de anima sect. 3. punct. 7. p. 465.* Consistit autem imaginatio interprete Malebranchio *de inquirenda veritate lib. 2. c. 1 p. 79. in sola virtute, qua mens sibi imagines obiectorum efformare potest eos imprimendo fibris cerebri, vel iuxta nostrâ sententiam in perceptione rerum per sensus externos.* Ex quo concludimus cum Malebranchio: *Quo vestigia spirituum ani-*

* (5) *

animalium, quæ sunt veluti imaginum illarum lineamenta, erunt distinctiora & grandiora, eo fortius & distinctius mens obiecta illa imaginabitur. Iam patet causa, quare mens nostra in imaginando mox active, mox passive sese habere dicitur: Quando enim rerum imagines per nervos opticos ad septum lucidum delatas & in ignis vitalis luce representatas necessario percipit, sicuti hæ picturæ organaque se habent, passive; quando autem vi fœderis, quod inter corpus & animam est, illæ rerum imagines intra tenuissima cerebri filamenta custoditæ ad volitionem & determinationem mentis prodire iubentur, active se habet Wesenfeld *in Georgic. animi & vitæ cap. 2. §. 15.* Inculcanda iam erit differentia intellectus & vis imaginatricis non proluxa quidem commentatione, sed brevissima tantum commemoratione, quo etiam huius rei veritatem perspectam cognitamque habeamus. Tanto autem accuratius hanc adnotare iuvat, quanto maiores errores ex confusione harum animæ facultatum & temeraria limitum imaginationis transgressione resultant, quos paucis delineavit ipse Auctor *in disput. laudata de habitu animæ eiusque facult. ad æt. mor. §. 43.* Transiliunt, inquit, ut documento quodam hæc confirmemus, qui res immateriales imaginatione percipere audent. Hoc contingere illis solet, qui Deum ipsum imaginatione concipiunt, unde talem sibi imaginem fingunt, quæ sæpius nihil mimus, quam Deum exhibet. Hisce statim subiungit concludens: omnem idololatriam ex hoc fonte promanasse & obstetricante infernali genio in orbem inuectam esse. Omnium optime differentiam dictarum facultatum admentem nostram representare videtur Anton. le Grand. *Instit. philos. part. 9. art. 5. n. 2. p. 699.* propterea malo illi us verbis, quam me totam rem exprimere. *Cum mens intelligit, nulla alia re opus habet, quam seipsa & propriis suis ideis, nullis organis indiget, nec ullus ei cerebri est usus, ut res exter-*

§. 51.
seqq.

§. 54.
seqq.



nas concipiat & intelligat. Qua in re ab imaginatione distinguitur: quia mens nihil imaginari potest, nisi corporeum, cum imaginando ad corpus se conuertat & obiecti imaginem, tanquam oculis presentem contempletur. Hinc ad vim imaginatricem refert illud vulgatum: Nihil est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu, quidpe quod de imaginatione, non de intellectione valere dicit. Conf. l'art de penser prem. part. chap. 1. p. 37. seqq.

- §. 63. §. 4. Altera animæ operatio mixta est adpetitus sensitivus, per quem vulgus Philosophorum intelligit illam potentiam animæ sentientis, a qua motus passionum ortum ducunt atque originem vid. Honor. Faber tract. physic. 2. lib. 5. de adpetitu sensit. & passion. defin. p. 390. sibi persuasum habens, hunc ita in homine a voluntate rationali distinctum esse; quemadmodum potentia sensitiva ab anima rationali distincta est. Idem Faber loco dicto propos. 15. Qui error supra nobis refutatus est. Probabilius est, inquit Auctor philos. veter. & nouæ tom. 1. tract. metaphysic. 3. quest. 3. conclus. 2. p. 607. in homine unam esse & indiuisibilem animam, non multiplicem: anima enim rationalis hominis forma est, cui omnes vires subiiciuntur, dum eas ad agendum adplicat, & unum esse homini non multiplex tribuit; ac nihil ei deest, quominus omnia formæ substantialis obeat munera. Sed si plures essent animæ in eodem homine, eæque loco aut sedibus discretae, non unum esset, §. 64. sed multiplex esse hominis. Nos per adpetitum sensitivum nihil aliud intelligimus, quam ipsam voluntatem, prout motibus corporeis adficitur & in res corporeas tendit.
- §. 65. Nec dimouere nos ab hac sententia potest illa pugna, quam rationis & adpetitus sensitivi seu partis inferioris ac superioris animæ Veteres atque Recentiores adpellant: diuersa enim animæ operatio huius pugnae causa est. Eadem anima per distinctas saltem virtualiter facultates sibi ipsi reluctari potest:

* (7) *

*test: Neque id mirum esse debet, cum voluntas saepe intellectui
aduersari videatur, Auctor. Philos. vet. & nou. tom. 1.
tract. metaphys. 3. quest. 3. conclus. 2. obj. 2. Sapius
corporis impetu abripitur anima & cum corpore ope-
ratur, antequam hoc animaduertit, quatenus vero
pure agit, motus illos a corpore excitatos detestatur:
Vnde illa rationis & adpetitus pugna clara est & illustris.
Cum vero hæc lucta rationis & adfectuum omnem ciui-
lem etiam felicitatem impedire, & magna calamitatis hu-
mani generis causa esse videatur Horneio philos. mor. lib.
1. cap. 3. §. 4. & 5. & vanitatis mater, lubet paulo accuratius
eam prosequi. Existentiam huic pugnae si probaremus,
vanum laborem suscipere videremur, cum quilibet mortali-
um hanc pugnam, si verum fateri vult, in se deprehen-
dit ideoque eam agnoscere cogitur. Simul ac enim homo fœ-
dus cum Deo fregit, inquit Schilterus in manuduct. philos. mor.
adiurisprud. cap. 2. §. 26. & ei rebellis factus, in ipso etiam ho-
mine, tanquam in pœnam reciprocam, ut S. August. lib. 13. de
C. D. cap. 15. loquitur, adpetitus rebellare cepit rationi, ut jam
videat homo meliora probetque deteriora sequatur. Vbi et-
iam probat prolixius ἡ περὶ τὸν θεολογησάντας Paganorum
Poetas eandem adsertionem agnouisse. Differentiam, §. 66.
quæ inter pugnam rationis & adpetitus sensitiui, & luctam
carnis & spiritus intercedit, paucis heic adnotare iu-
uat. Tollere eam annisus est Hugo de Roy tract. de eo,
quod iustum est lib. 1. tit. 3. ideo arma contra illum adripuit.
Schilter loco antea adducto dicens: in hac lucta carnis &
spiritus utraque hominis natura sensitiua & rationalis conspi-
rant contra Spiritum S. & vim ac facultatem regenitis pecu-
liarem, interuenientibus quoque diuersis generis telis add. Io.
Meisner in dissert. de pugna carnis & spiritus §. 4. & 8. & Hul-
semannus in breuiar. extens. cap. 9. thes. 10. Reliqua Veneran-
dis*

dis Theologis discutienda relinquo, ne inepti rerum cen-
sures inuidiæ veneno suffusi habeant, quod vituperent &
magis ad forum nostrum pertinere puto, in principia dis-
quirere, a quibus hæc lucta prouenit & dependet. Farra-
go est sententiarum passim a Philosophis prolatarum, quas
corradere Herculeum laborem censeo. Ergo præcipuas
saltem adlegare consultum ducimus. Scholastici eam ab
animarum diuersitate deriuare studebant, Cartesiani a con-
trarietate animæ & corporis eam ducebant, alii aliam
sequebantur rationem & institutum vid. Durrii disp. *de pu-
gna rationis & adfectuum*. Quæ autem nostra sit circa hanc
rem sententia paulo antea expositum est.

§. 5. Propius nunc ad institutum nostrum accedi-
mus naturam & indolem adfectuum tradituri. In limine
§. 101. huius tractationis de insigni vtilitate, quam spirat adfectu-
um doctrina, pauca delibare debemus, vt nostri laboris vti-
litas cuique constet. Exprimit verbis Excellentissimus
Thomasius, quæ nos mente de adfectuum emolumento
fouemus *Part. 2. Eth. cap. 2. §. 2.* Ohne die Lehre von denen
Gemüths-Neigungen kan man keinen auctorem recht
verstehen / andere rechtschaffen nnterweisen / oder sie zu
etwas bereden / weder sich selbst noch andere erkennen/
nichts rechtschaffenes und fruchtbares in Heilung derer
Kranckheiten ausrichten / ja in geistlichen Dingen weder
in Bestraffung noch Trost geschickt und weislich verfab-
ren. Addit ibi monita plura saluberrima, quæ quidem non
adscribimus, interim lectori nostro summopere commen-
damus.

§. 6. Pauca de adfectuum nominibus præmonenda,
quo eo melius de illorum natura postea iudicium ferri
queat. Græcis *πάθη* dicebantur, sive quod *anima* aliquid
patiatur, vt Plotinus philosophus Platonicus loquitur,
quam

* (9) *

quam sententiam ipse Cartesius cum adfectis secutus est, & adfectus inde *passiones* denominavit *lib. de Passion. anim. part. 1. art. 27.* Anton. le Grand *part. 9. art. 6. n. 1. Institut. philosoph.* siue quod *corpus* aliquid patiatur, & in illo quædam alteratio fiat, uti Augustinus *de C. D. lib. 9. cap. 4.* putat. Stoicis tamen placuit voce *παθήων* aliter uti, pro adfectibus malis & rectæ rationi repugnantibus: unde & latine *perturbationes* vocarunt. Schilter *in manuduct. philos. mor. ad iurisp. cap. 5. §. 6.* Prolixiores de nominibus adfectuum dissertationes vide apud Ciceronem *lib. 2. 3. 4. & 5. Tusculan. quest. & lib. 1. quest. academ. add.* Lipsius *in manuduct. ad philos. stoic. L. 3. dissert. 7. p. 222.*

§. 7. In aprico positum esse debet, de quibus adfectibus impræsentiarum nobis sermo sit, ne vocis ambiguitas nos & alios fallat. Solet tripartita adfectuum divisio a recentissimis philosophis adferri & alii mentales, alii pure corporei, alii sensuales vocari. Sicut genus quoddam *passionum*, inquit Clarissimus Wesenfeld *in Georgic. animi & vite cap. 2. §. 3. in mentibus separatis advertere licet; ita idem in mero corpore euenit, sic dispensante numine, ut non tantum ordinarii sed & extraordinarii motus in quolibet rerum viuentium genere se exfererent.* Vbi & ingeniose tradit, quod universa huius passionis ratio in extraordinario fluxu spirituum & sanguinis consistat, vnde extraordinarii illi corporis animalis motus nascerentur. Nos hæc duo passionum genera *§. 69.* missa facimus, & de adfectibus sensualibus, ut vocantur, agere debemus. Hos adfectus commotiones vocamus: omnes enim adfectus motum quendam annexum habere omnibus ad vnum philosophis huc usque teste Thomasio nostro obseruatum fuit *part. 2. Ethic. cap. 3. §. 3.* Nec possunt aliter sentire, cum in quolibet adfectu non tantum motus corporis; sed & animi deprehendantur. Licet ultimum,
B quod

quod posuimus, a multis adhuc in dubium vocetur. Necessitas itaque exigit vberiore[m] harum commotionum declarationem adiicere. Corporis nostri obiecti cuiusdam repræsentatione agitati commotiones nemo est, qui negat, ordine autem singulas recenset sæpe laudatus Wefenfeld. *in Georgic. animi & vitæ cap. 3. §. 4.* tam eas, quæ mentis motum præcedunt, quam quæ eum subsequuntur. In id itaque unice incumbendum, vt certo argumento euincamus, affectus non esse commotiones mentis passiuas, sed maxime actiuas. Imbiberunt Cartesiani animo contrariam sententiam & semper verbis crepant: *adfectus respectu animæ, cui accidunt passiones vocari, actiones vero respectu corporis, quod in animum immediate agit & in eius actibus mutationem & variationem efficit* vid. Anton. le Grand *Institut. philos. part. 9. c. 6. n. 5* add. Malebranche *de Inquirenda Veritate lib. 5. c. 1.* Quod eo minus miraberis, si falsas illorum hypotheses de adfectuum sede & mentis habitu perspectas habes. Collocant enim adfectus in intellectu vid. Cartesius *de Passionibus animi part. 1. art. 30. seqq* eamque pro facultate mere passiva venditant, vt alibi demonstratum. Hinc non possunt non omnes adfectus commotiones passiuas dicere & nomine passionum insignire. Quoniam vero post illum spirituum animalium motum in mente ordinario sequitur confusa quædam perceptio, interdum etiam distinctior rei consideratio cum intimiore quodam sensu, quo mens perfunditur, & intensiore quadam voluntatis inclinatione, vel remotione ab obiecto, quod sibi bonum vel malum mens attenderat, tuto inde concludere possumus, adfectus commotiones maxime actiuas esse, vt interiorem illam delectationem ac voluptatem, qua mentem demulcet, taceamus conf. Wefenfeld. *in Georgic. animi & vitæ cap. 3. §. 7.*
 §. 8. Cum huc usque demonstratum sit, adfectus non tantum;

* (II) *


tantum; commotiones corporis, verum etiam animi actiuas esse, inquire-
 rere nunc debemus in *terminum a quo & ad quem in omni motu conside-*
randum. Ita autem comparatum est cum voluntate humana in hisce in- §. 87.
 elinationibus, vt semper a re ingrata & intellectui sub specie mali re-
 presentata vergat in rem gratam & sub specie boni menti exhibitam:
 vbi fieri potest, vt verum bonum deserat, & contra bonum adparens aut
 potius malum adpetat, quia voluntas reiecto intellectus dictato sapius
 eo inclinatur, quo motus corporis tendunt, licet alias naturalis eius adfe-
 ctio sit propensio in bonum. vid. hac de re prolixius differentem Ex-
 cellentissimum Thomasium nostrum *part. 2. Ethic. c. 3. §. 30. seqq.* Hinc §. 84.
 patet ratio, quare omnes adfectus in bonum aut malum futurum tendere
 dicantur & *dolor* atque *voluptas*, adfectuum numero excludantur: nam
 ex natura motus obiectum futurum requiritur, circa quod vim & effica-
 ciam suam exserat; sed modo recensitæ species tantum boni aut mali
 presentis, non etiam futuri perceptiones dicuntur. Thomasius *loco ad-*
ducto §. 37.


§. 9. Ad causas adfectuum eorumque effectus progressuri com- §. 88.
 modum arbitramur ea, quæ adfectus excitare & subsequi solent, pro
 officii ratione recensere. Ex superioribus in proptulo est, heic sensua-
 lium adfectuum pertractationem institui, ideo notanda est illa obiecto-
 rum representatio cum sensatione grata aut molesta coniuncta, quæ
 extraordinarium quendam spirituum animalium fluxum excitans,
 eorum imagines animæ simul communicat, vnde illa bonitate vel
 prauitate rerum oblatarum considerata accerrimis interdum commo-
 tionibus agitatur & quasi æstuat, *aque in modum*, verba sunt Wesenfel-
 dii, *cit. loc. §. 3. cap. 3. quæ stagnans ante aut leniter fluens, iniecto lapide*
varios circulos circellosque efformat, magnitudini ac motui lapidis inie-
cti conformes. Quæ mentis agitatio ope spirituum animalium ad cor-
 pus iterum se diffundit variosque effectus prodit, de quibus nunc fusius
 agendum, nisi plagulæ angustia obstaret. Ergo præcipuorum tantum §. 93.
 mentio iniicienda. Ea, quæ respectu intellectus ex adfectibus consequi
 solent, comprehendit Auctor sub *procliuitate perperam iudicandi*, hæc
 autem latissime se extendit & omnia adfectuum præiudicia complecti-
 tur vid. Thomasium *in introduct. ad Philos. Aulic. c. 6. §. 8.* Quæ vero
 respectu corporis affectus sequuntur, recenset Wesenfeld *loco iam indi-* §. 97.
cato §. 4. & ipse Auctor videlicet *sanguinis efferuescentiam & ebullitio-*
nem,




nem, vel frigus quoddam & torporem pro spirituum animalium diversitate, singularem quorundam membrorum positum, cuius rei elegans exemplum sistit Seneca lib. 1. de ira cap. 1. Ut furentium, inquiens, certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita Irascentium eadem signa sunt. Denique insequitur dilatatio quadam & organorum expansio versus grata & iucunda, contractio vero & fuga, si obiecta ingrata & molesta adsunt vel adfuerunt.

§. 10. Deducenda ex his sunt pauca consuetaria, quæ sua sponte ex §. 77. iam dictis fluunt. Sedem & subiectum adfectuum voluntatem constitui- mus: In hoc enim omnium ferme philosophorum consensum deprehen- dimus, quod alteram animæ humanæ facultatem, puta voluntatem, vel sub- ordinatam illi potentiam, videlicet adpetitum sensitivum sedem adfectuum dixerint, si a Cartesio discesseris, qui eos non in voluntate aut adpetitu sen- sitivo, sed in intellectu contra omnem rationem collocat vid. *Lib. de Pas- sion. animi part. 1. art. 30. seqq.* Propterea eam sententiam, ut paradoxam, non tantum exagitat Thomasius noster; verum etiam erroris huius causas ingeniose enarrat *part. 2. Ethic. c. 3. §. 13. p. 78.* Notus est dissensus & error Aristotelicorum de hac materie, qui hypothesi supra profligata de anima- rum pluralitate nititur, qua indicata uterque mole ruit sua. Nec difficile erit iudicatu, an in bruta adfectus cadant? Peripatetici ad vnum omnes fere hoc adserunt, dum animam sensitivam pro sede adfectuum venditant, ad quos accedit Wesenfeld *in Georgic. animi & vitæ c. 2. §. 3.* Passiones mere corporeas illis tribuens, quas si pro simulacris adfectuum habet, non repu- §. 80. gnamus. Pauca nunc de Sympathia & antipathia, de admiratione, diuisio- ne & enumeratione adfectuum aliisque momenti adnotanda sunt. Illa frustra pro adfectibus habentur, quia potius operationes mentis, quam commotiones voluntatis existunt. Quemadmodum enim Sympathia & an- tipathia in homine a nuda imaginatione, sicuti alibi prolixius demonstra- bimus; ita admiratio ab obiecti raritate vel nouitate dependet, quamuis in- terdum rei & causæ ignorantia accedat. Ad diuisionem adfectuum quod attinet, nolumus illi inhærere, quia in omnibus Ethices libellis conspicien- da præbetur, vid. Rechenbergii *lineamenta philos. civ. part. 1. c. 6. §. 3. seqq.* Quæ nostra circa hanc rem sit sententia, non potest fugere illum, qui Au- §. 105. ctorem nostrum consulit. Hinc non tantum Stoicorum, Scholasticorum & Epicuri; verum etiam Cartesii, Henrici Mori & Vincentii Placcii diuisiones reiicimus & profligamus.









01 A 6541

f

ULB Halle 3
 003 090 396




TA → OL

1018
VJ 17







25

TIO MORALIS

De

ET INDOLE CTVVM

ad

NTISSIMI VIRI

ANCISCI BVDDDEI

LOSOPHIAE PRACTICAE

p. II. a §. 48. -- 138.

quam

A FRIDERICIANA,

GNIFICENTISSIMO,

VVENTVTIS PRINCIPE

WILHELMO,

ENBURGICO ET ELECTORA-

DE AC RELIQVA,

Facultatis Philosophicae,

AE S I D E

REICHIO,

urg. Saxone,

rum examini proponit

Rudloff / LL. Studios.

nf. Magdeb.

Aug. M D C C.

DREAE ZEITLERI, Acad. Typ.

